



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 125. Joannes Franciscus Gondius Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII. in rebus gerendis solertiam cum ingenti
 A. C. 1679. civium applausu obibat: postea Romam
 reversus, pluribus Patrum cætibus,
 gravissimisque Ecclesiæ negotiis adhi-
 bitus, meritorum suffragio purpuram
 adeptus est, qua dignitate auctus miro
 scientiæ & eruditionis consortio jucu-
 dam duxit vitam tanto Principe di-
 gnam, & Reipublicæ bono maxime
 proficuum; Æmilianam quoque Pro-
 vinciam Legatus integro triennio tam
 prudenter moderabatur. ut præprimis
 Clero ad omnes honestatis leges revoca-
 to, populum solo virtutum suarum
 exemplo, ad pietatis Studium permo-
 veret, facinorosos vero sola dignitatis
 suæ auctoritate, non suppliciorum se-
 veritate coerceret, unde eo Rectore
 nullus capitali pœna affectus erat, cum
 nullus ea dignus reperiretur. Demum
 a Clemente X. hac legatione solutus,
 Romam reversus est, ubi salutis suæ
 negotio, ac literis intendens, tandem
 die decima sexta Januarii anno ætatis
 suæ sexagesimo quarto æternitatis viam
 gloriose ingressus est.

§. CXXV.

*Joannes Franciscus Gondius Cardi-
 nalis mortuus.*

Obiit

Obiit quoque hoc anno Joannes Fran-
 ciscus Paulus Gondi Cardinalis, A. C. 1679.
 dictus vulgo Radesianus, alternantis
 fortunæ spectaculum. Hic juventutis
 indomitæ impetum secutus, semel ite-
 rumque profanas delitias, quasi per
 transennam, carptim delibavit, sensim-
 que a permissis ad vetitas cupiditates
 (adeo exiguum est licitorum illicitorum-
 que confinium) prolapsus fuisset, nisi vo-
 cante Deo tandem, quod inter mundi
 illecebras oppido rarum est, introspi-
 cere orsus esset semetipsum, suæque
 salutis periculum: ruptis igitur omni-
 bus pristinæ consuetudinis vinculis,
 spretisque Aulæ honoribus Instituto
 Sacerdotum Oratorii sese addixit, ubi
 sublimioribus scientiis mentem exco-
 lens, in Theologiæ studio ac Patrum
 lectione adeo profecit, ut Sorbonæ
 Doctoribus aggregatus, non modo cre-
 bro vastæ eruditionis specimine, sed
 & fervidis e suggestu sermonibus in-
 gentem sibi pararet existimationem:
 Pluribus etiam Abbatiis præpositus, a
 Patruo suo in Parisiensis Archiepisco-
 patus Coadjutorem, ab Urbano autem
 octavo Pontifice in Corinthiacum An-
 tistitem renunciatus est. Habuit tamen
 in Regis aula sibi adversantes Mazari-
 num Cardinalem, ac ipsam Franciæ
 Reginam, a quibus indigne habitus,
 Gasto-

*Sæc. XVII.
 Ciacon. in
 vita Innoc. X.
 Mem. du
 Card. de
 Retz.*

Sæc. XVII. Gastonis Aurelianensis Ducis consiliis
A. C. 1679. ancillari cæperat: Postquam vero Rex
 Parisios reversus fuerat, Gondius infidias vitæ suæ structas eluctatus, totum sese pastoralis officii sui curis sacrabat, ac frequenter ad populum dicebat; nihilominus prævalente æmulum potentia clam Vicennas captus abducebatur, adversus hanc violentiam summo Pontifice, Parisiensi Clero, & Sorbona vehementer declamantibus: postquam vero Archiepiscopatus cessione suam libertatem redemerat, in Hispaniam profectus, oblatam aurei velleris dignitatem, multamque auri vim recusavit, ac continuato itinere Romam contendit, ubi ab Innocentio X. perbenigne exceptus, eo mortuo haud parum Alexandri VII. electionem promovit; recrudescente autem novercantis fortunæ invidia, Roma excessit, atque in Belgium, indeque in Angliam delatus, Carolum II. Regem ad fidem Catholicam animo amplectendam induxisse fertur: tandem Parisios reversus, ut æris alieni onere solveretur, famulatio, vestitu & victu honesto magis, quam splendido utebatur, imo ipsam quoque Purpuram abdicare paratus erat, dummodo Clemens X. ad Gallorum vota Cardinalem natione Gallum hac dignitate honoraret: tandem vero in

in Abbazia ad S. Dionysium, quam a Sæc. XVII. Franciæ Rege obtinuerat, beato fine A. C. 1679. quievit: Erat sane Præsul sermonis eloquentia, animi constantia, atque eruditionis ubertate celeberrimus, adversa fortuna tranquille, prospera moderate uti assuetus, suo exemplo comprobans, optimum esse suæ quemque fortunæ fabrum: sua quoque magnanimitate, morumque suavitate populi amorem mire sibi conciliabat: Exstant vitæ illius commentarii, primum anno Christi millesimo septingentesimo decimo nono Amstællodami editi, hos ab ipso Cardinale conscriptos referunt Protestantes, verum ab his sub ejus nomine confictos fuisse, exploratum est.

§. CXXVI.

Diversæ summi Pontificis Constitutiones.

Plures hoc anno Constitutiones Apostolicas Innocentius XI. Pontifex Maximus edidit, ac primo quidem die trigesima prima Julii confirmavit indulgentias Sodalibus sancti Rosarii concessas: facultatem quoque celebrandi festum B. V. Mariæ de monte Carmelo unacum Missa & officio indulget pro Regno Lusitanæ. Declaravit pariter quod si festum S. Benedicti transferatur, ple-

Bullar. magn. Const. Innoc. XI. tom. 7.